



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Ignatii imperium in malos dæmones. Cap. I.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

S. IGNATII MIRACVLA.

LIBER TERTIVS.

IGNATIVS *dæmones malos*
exagitat. CAP. I.



XIMIIS IGNATIVS
quà in vitâ, quà pòst
mortem, miraculis in-
claruit. Ea instru-
mento iam publico
testibusque firmata, sic à me con-
scribentur, vt ijs ferè, quæ relata
iam suprâ fuere, omissis, illa et-
iam, quæ inter ostenta, & vatici-
nationes, aut alia hoc genus admi-
randa ducuntur, nihilo hîc magis
repetantur.

I. Principio magnum eius im-
perium in Genios rebelles prauos-
que valuit; qui de odio in IGNA-
TIVM non obscure confessi, ma-
gnis sæpè tempestatibus nequid-

K 3

quana

quam detonuere. Nam ei Man-
resæ, quod suprâ retulimus, in ve-
nustiori schemate certatim illude-
re parabant: quos tamen agnitos
prior ipse dexteriorque eludebat.
Pòst in itinere, ac tum Parisijs,
tum Romæ, mutatis ludibrijs de-
formes oppidò, & spectri fœdissi-
mi imagines induerunt, vt terre-
rent; quibus tamen ille adeò non
terrebat, vt scipione contemptim
eos peteret, veluti canes exarma-
tos, aut sordidas feles abacturus.
Compluti deinde, inter pauperum
centones assidentem, suis quoque
terroribus frustrâ adorti, semper
succubere.

2. Anno M. D. XLI. audiit Ro-
mæ Petrus Ribadeneira cacodæ-
monem ad nomen IGNATII im-
potentiùs solito furentem: nam
vexabat is crudeliter Matthæum
quemdam adolescentem, vetuerat-
que, ne quis IGNATIVM sibi no-
minaret, illum se principem in ho-
stium numero ducere. At eum
IGNATIVS iuvenem allocutus, se-
cum

cum in intimas ædes abduxit; inclusumque, mox libertati confirmavit: quem deinde vegetum ac valentem vidit Petrus in familiam Camaldulensium adscriptum. Adduxerant alij feminam, eodem hoc Stygis inquilino quadriennium habitatam: obtestati, vellet, iuberet monstrum excedere. Negavit IGNATIVS sacris se inauguratum: preces tamen, quod vnum posset, haud ægrè fufurum. Fudit, & feminam à se liberam sospitemque amisit.

3. Anno M. D. LIV. sub Laurentani Collegij initia, Oliuerius Manareus loci Rector, vir religione famaque clarus, magnos ibi memorat tumultus interdium noctuque ab eiusmodi hostibus excitos esse; quibus idemtidem obturbare, & familiam omnem ingenti strepitu confundere, mox formis alijs alijsque se vestire consuerint; ac modò Aethiopum atrore formidabiles occurrere, modò canum feliumque habitus assimilare, tum belluas, vt quæque foedissima erat, obijcere:

quo fiebat, vt nullum inquilinis
 tempus ad quietem relinqueretur.
 Omnibus igitur tentatis quæ Col-
 legio lustrando forent, minus ni-
 hilo profectū est. Sed & sacrificia,
 & piacularis vnda, & diuinorum
 carminum vires, & Lipsana Cæli-
 tum, ac mille talia, frustra fuere.
 Coactis importunitate Oliuerius,
 IGNATIUM rei certiozem per lit-
 teras fecit. Cui ille ita rescripsit, vt
 preces suas eam in rem pollicitus,
 animo erecto, obsidionis solutio-
 nem iuberet expectare. Oliuerius
 receptis litteris, familiam cogit, &
 ijs palàm, in quæ verba IGNA-
 TIVS rescripserit, ostendit. Res
 mira dictu! vt si omnis inferorum
 vis continuò elanguisset, ita, post
 recitatas IGNATII litteras, nullius
 turbæ vestigia reliquere.

4. Hæc IGNATIO viuente et-
 iamnum ac sentiente facta: ab eius
 excessu plura. Nam Drepani mu-
 lierem distinebat insolens hospes.
 Eum, inter euocationes legitimas,
 rogari Ioannes Vega Siciliæ Pro-
 rex

rex iusserat; vbinam IGNATIVS
 noster degeret: qui quidem iam
 tum fortè obierat, re ad externos
 nondum vulgatâ. Nihil tergiuer-
 fatus hospes, excessisse iam illum
 respondit, eumque hostem quidem
 suum fuisse, ceterum in cælo iam
 sibi locum inter Dominicos &
 Franciscos, Religionum condito-
 res, inuenisse.

5. Anno postea M. D. LXI. vir-
 ginem quamdam adolescentulam
 Senæ habuerunt, eximiè probam,
 & singulari quodam animi can-
 dore insignè; Iacobam Prati dixe-
 re. Ea nobili feminae tum ancilla-
 batur, Antistitis Senensis amitæ;
 atque interim miserè afflictata, af-
 fiduis inferorum spectris & flagris
 subinde concisa, mirisque modis
 crudeliter exercita, prodibat. Ipsos
 annos duodecim valuit intempe-
 ries; nec modus interea, qui malo
 pellendo esset, apparebat. Cœpit
 deniq; puella quamdam IGNATII
 iconem secum, quacumque ince-
 deret, gestare. Enimuerò comper-
 tum

tum est continuò, quanta paruulæ rei vis inesset. Nam manus tartarea redire tum quidem, atque oculis sese eminus ostendere, hostem-que illum suum adhuc clamare, & icona proijcere iubere, aliaque plura furere. Sed in eâ tamen velitatione, nemo erat hostium qui propius accederet, pedemque, ut prius, cum puellâ conferret. Ac ne provocati quidem, ut impetum facerent, quidquam potuerunt. Obiectâ verò monstrataque imagine, ora deformia abdere, hancque oculorum iniuriam queruli deprecari audiebantur. Sed subegit puellam curiositas, experiri, illa immunitas, hostiumque fuga, ab imagine pronasceretur, an aliunde existeret. Ita positâ tantisper icone, se temerè exarmat; confestim quanto id suo malo fecerit, sensura. Nam irruere tota in illam confestim acies, ac plagis atrocibus sæuire, puellamque institerunt usque adeò immaniter cædere, uti à præsentibus potuerit pro mortuâ conclamari. Inde

de
tius
ima
adh
que
stul
ibi
affe
e
nita
&
an
occ
ran
bic
ner
re,
ijde
nia
Sec
per
ver
stre
que
par
niq
nis

de quâ ope muniretur edocta, cautiùs, ne quâ vñquam destitueret imaginem, obseruauit. At illi vario adhuc fremitu circum parietes atque cistas hac illac oberrare; eâ cistulâ semper vnâ intactâ, in quâ ibidem quædam eius Beati effigies asseruabatur.

6. Nec multò aliud, ludi Anconitani Magister, & malum habuit, & mali sui remediũ inuenit. Nam anno M. D. XCIX. domum eius occulti lemures pestilentem fecerant; ac, velut iussi mediastini, cubiculum verrere, lectulum componere, lucernam morientem reficere, gnauiter primò studuerant: mox ijdem, ceu captâ pœnitudine, omnia rursus euertere ac conspurcare. Sed illatâ S. IGNATII icone, repente exturbati omnes hoc genus vernæ; extra adhuc pro cubiculo strepere, quaterere fores, claudereque valuas, & intempestiuè tympana ferire perseuerabant: dum denique & illic defixâ imagine, omnis ædium iniquies conquieuit, hominiquè

miniſque conſtans exinde otium manſit.

7. Romæ prætereà VIII. Id. Iulias anni M. D. XCVII. quo tempore cacodæmon in ſacrâ vr̄bis æde legitimis deuotionibus vr̄gebatur; ingreſſus eodem eſt P. Baptiſta Peruſcus noſter, vt ad aras inibi præcicaretur. Is pro pectore lipſanothecam appēſam geſtabat, quâ præter ceteras Cælitum reliquias, incluſæ etiam IGNATIANÆ ferebantur. Hic ad primum Patris ingreſſum vociferatur Genius, ſe verò uſtulari ab eâ re, quam Pater ſecum intuliſſet. Et pro imperio iuſſus edicere, fatetur, cineres IGNATII eſſe, eius, qui magnus Numinis ſeruus, Societatem IEſu condidiſſet: additque, Beatum illum inter Superos degere, orbi ignotum adhuc, breuî tamen in Cælites palàm referendum. Iniecit Peruſcus lipſanothecam in collum mulieris: mox eiulare hoſpes malus, & ab ijs ſe cineribus vri profeſſus, ex humano corpore exceſſit.

8. In

8. In maiori Balearicâ femi-
nam, annos non minus vndecim,
malus item dæmon miserè infe-
starat, perpetuumque & ludibrium
illam & supplicium dederat. Iam
eï manus in parietem impactas du-
riter exercere, caputque muris illi-
dere; iam totam in aëra sublimem
ferre: modò ita grauem humi de-
figere, vt validissimi quique digi-
tum vnum à terrâ leuare non pos-
sent: repentè cum canibus latra-
bat, aut etiam in porcum grunnie-
bat. Ad hæc impos sui femina sæ-
pè sæpius fœdum in modum spu-
mas toto ore egerebat: spectacu-
lum lacrymis prosequendum: &
quod in his tristissimum erat, de-
erat morbo medicina. Sub extre-
mum denique Augustum anni
M. D. XCVIII. Ioannes Pe, Sa-
cerdos, IGNATII syngrapham
intulit, mulierique, sensibus iam
omnibus destitutæ, imposuit. Quæ
confestim cœpit insolentiùs mo-
ueri, datisque toto corpore miræ
rei indicijs, impotenter insanire.
Sed

Sed mox inter eos gestus migravit
 obfessor, & liberam incolumemque
 feminam omisit. Illa de frequen-
 tiâ hominum paullum seducta,
 gratias Numini pro libertate, per
 IGNATIUM receptâ, persoluit.

9. Puellam in agro Senensi,
 Vlnam, Gratiano Galatio geni-
 tam, anno *xxcix.* eadem spectra
 vehementer perturbauerant. Nam
 crebra illi occursabant, atq; ad fla-
 gitium infame cum percellere non
 possent, atrociter multabant: pla-
 garum vibicibus in contuso cor-
 pore relictis. Petijt illa, reperitque
 in IGNATII imagine tutelam.

10. Sed annus sæcularis *M. dc.*
 tragice rei multò grauiſſimum ſpe-
 ctaculum præbuit. Seriem eius alijs
 prolixè perſcriptam, ego in com-
 pendio hîc, quàm veriffimè po-
 teſt, commemorabo. Mutinæ quat-
 tuor degebant ſorores, nobili loco,
 & claro genere puellæ; earum vna
 nuptui data, reliquæ virgines per-
 ſtitere. Hæ omnes cum virgine
 conſobrinâ, complures annos in-
 fanda

fanda quædam ac deploranda sty-
gis ludibria perpetiebantur. Erat
intus hostium acies ingens, & assi-
duis iniurijs intenta. Sed puellæ
plerumque agræ decumbebant, à
morbo, Medicis omnibus iuxtà
nouo ac desperato. Hæ interim
sublimes attollebantur, vt ab alto
præcípites agerentur: interim pe-
netralibus intimis inclusæ discer-
pebantur lacerabanturque. Non
vestes illæ, non capillos, non cor-
pora integra retinere: neque adeò
cauere poterant, quin terræ, inter
salutis capitisque discrimen, affli-
ctarentur. Quin etiam vapulare
prius non desiere, quàm excita
strepitu familia, suppetias inno-
centiæ ferret.

Pollebant illæ ceteroqui non
exiguus virtutibus, inque honestâ
domo educatæ, optimis moribus
formabantur. Tamen ea fuit ho-
stium licentia, vt sæpè verba coge-
rentur impia & tetra quædam in
Superos conuitia spargere. Et o-
portuit eas sibi vim incredibilem
affer-

afferre, si quando ad preces, Deique laudes aut dicendas aut audiendas accederent. Sacris verò assistere, ea demum res extremi supplicij credebatur. Ibi humi exanimis iacere, ibi rursus immanè vociferari, nullisq̄ue propè consilijs retineri posse. Quoties super noxijs confiteri decretum erat, hîc lingua titubare, verba hæere, vires animusq̄ue miseras deficere, ipsæ in iniuriam sacrorû linguas foedum egerere; & , quâ vnâ re præcipuè sollicitabantur, impuris facibus honestus virginum animus vstulari. Nec cacodæmones, sacro Iure citati, diffitebantur, id se vnum spectasse, vt puellas, ereptâ honestate, in animi corporisq̄ue periculum impellerent: verum, quod crebro pioq̄ue Sacramentorum vsu consuessent, frustra se fuisse.

Ad hæc parum habuere scelesti, solas illas turbare, nisi ceteram quoque familiam lacerarent. Nupta quippe soror filium alebat, menses quattuordecim natû; quem
se,

se, ludibrio matris, occisuros minitabantur, diemque cædi faciendæ constituerunt. Cetera mendaces, hîc solum, cum ingenti domus luctu, in nullo fefellerunt. DEI occulta hæc & abdita consilia fuere. Interea loci nihil cessatum est, & vndique opem cælestem accire multi laborarunt. Sacrificia, preces, lustralis vnda, Cælitum Lipsana, euocationes legitimæ, aliaque omnia religioni concessa, nihil profecerant. Denique Sacerdotum proborum & ascetarum insignium labore diu fatigatæ, ad ædis Laurentanæ incunabula, aliaque loca, trophæis contra inferos inclyta, nequidquam deportantur. Nempe DEVS alium huic morbo medicum destinarat.

Audijt rem eius Collegij Præses, & conditionem virginum miseratus, constituit, re ad DEVM relatâ, illas accedere. Ita secum effigiem IGNATII, erga quam ipse magnopere afficiebatur, defert: & cubiculum ingressus, vbi fortè Sacerdo-

L

cerdo-

cerdotis imperio tum inferi exagitantur, suspendit de pariete, quam dixi, imaginem, supplexque ad preces incumbit. Ecce autem, nondum, quid ageretur, cuiquam edixerat, cum stygij cœperunt inquilini conclamare, & barbaro stridore, eam verò imaginem IGNATII esse, dicere, seque ab eâ vehementissimè torqueri. Inde impatientes conuitijs illum carpere, & velut depilem senem, claudumque & cæcum incessere. Causam conuitij aperire à Sacerdote coacti, responderunt, IGNATIVUM, cum viveret, glabrum caluumque fuisse: & inæqualibus tibijs, alteroque crure debilitatum incessisse: cetera verò, cæcutientem idcirco appellasse, quòd per vberes lacrymas, oculorum aciem sibi obtudisset. Malo deinde suo factum querebantur, quòd ex ultimâ Hispaniâ ad cruciandos se viuens olim, iam etiam functus, occurrisset. Inde ex vnus corpore multi simul exturbati, puellam solo affixerunt.

Secun-

Secundum hæc, visa est ceteris etiã
 fororibus spes opis allucere. Quare
 tota domus simul ad IGNATIVM
 versa, anniuersarium eius peruigi-
 lio ieiunium nuucupat, & diem in-
 super natalem sibi festum fore. Eo
 tempore Romã profectus Augu-
 stinus Viualdus noster, Sacerdos,
 Vrbi Mutinæ pro Concionatore
 futurus, attulit secum lipfanothe-
 cam, in quã cū alijs & IGNATIA-
 NAE Reliquiæ condebantur. Hac
 proin clanculò in cubile illatã, suc-
 clamant inferi, ea verò IGNATII
 Lipsana esse: designant, quis illa,
 atque vnde importarit: testati, gra-
 uibus se supplicijs tortos, sic tan-
 dem exturbatum iri. Nempe de-
 cretum DEO esse, hoc trophæum
 IGNATIO statuere.

Alio die (nam pluribus conti-
 nuabantur hi ludi) principũ Ge-
 niorum vnus, antequam emigra-
 ret, vbi in IGNATIVM aliquam-
 diu procaciter illuserat, subactus à
 Numine est, magno cum pudore
 fateri, quantum ab vno illius offe-

miser ambureretur, cœpitque in ipso excessu ter eundem S A N C T V M proclamare: sanctique IGNATII, cum modestiâ & potentiâ, tum præcipuo erga DEI matrem studio, in fugam compelli se, dicere. Aliàs item, cum victos se denique sensere, hanc tamen IGNATIO gloriam inuidebant, ne vni ei magis, quàm alijs cessisse crederentur. Quapropter eorum Cælitum precibus exigi se mentiebantur, quorum maximè clientes eæ se virgines prædicabant.

Sed sub egressum adacti suum ipsi mendacium refellere, IGNATIVUM victorem fatebantur, eiusque vnius operâ uti DEVM in solvenda obsidione constituisse. Inter hæc rabiosè vociferati, Orco suas vires opprobrabant, qui chartulæ picti Sacerdotis nequiret obfistere. Totâ deinceps die euocati cum pertinaciter cessuros negarent, ni prius IGNATIO supplicaretur, DEVM id velle causlati; cœpit illis Sacerdos PRO MERI-

TIS IGNATII fugam imperare. Hic enimverò nullâ interpositâ morâ omnes ad vnum excessere. Interdum miserandis clamoribus aduersus DEVM dequesti, qui, quâ gloriâ se priuasset, claudum vtique homuncionem honestaret.

Menses non minùs duos ita dimicatum est, dum prorsus de omnibus triumpharetur. Quam certè moram non Superiorum imbecillitati tradit imputandam Bernardus; sed eò solùm fieri, quò planius cùm Stygis potentia, tum exigentis victoria, cognoscantur. Ita post alterum cœpti belli mensem, puellæ, quas diximus, omnes omnibus molestijs obsidionis perfunctæ, ad se ipsæ redierunt. Nec verò imagines solæ cinerésve IGNATII inferis diuersoribus terrori fuere: sed liber quoque super eius vitâ conscriptus, cùm capitibus earum imponeretur, vel in sinum inditus, palâmve lectus esset, hostes perdomabat.